



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio II. De Essentiâ & Existentiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

et verum seu veritas sit illi extrinseca. Hæc illi, quibus videntur sibi repugnare: nam prius dixerant, etiam si in Deo deficeret intellectus & voluntas, adhuc creaturas futuras possibiles; unde ego infero, Ergo non magis intrinsecum est creatura, posse amari, quam posse cognosci. Paret evidenter, quia etiam manerent creatura, licet non possint amari à Deo, ergo bonitas, quæ in ordine ad hunc amorem desumitur, non est magis intrinseca quàm veritas, quæ desumitur in ordine ad cognitionem. Disparitas autem, quàm hi assignant, nulla est: in primâ enim petitur principium, supponitur enim differentia inter posse amari, & cognosci, diciturque, vnum esse extrinsecum aliud non, quod ego nego, & alij omnes qui æqualiter de vtriusque discunt, & vel æquè extrinsecum vel æquè intrinsecum dicunt. Confirmatio desumpta ex inæquali amore Dei, nihil probat, solum enim probat, non omnia esse æqualiter amabilia, sicut sunt æqualiter cognoscibilia; quod illa æqualis cognoscibilitas non sit illis essentialis, sicut est essentialis illis inæqualis amabilitas, nullatenus probatur: neque video, cur posse amare sit essentialis colori, & non sit, posse videri à visu, imò in hoc sensu, sicut non omnia entia habent æqualem amabilitatem, ita non omnia habent æqualem cognoscibilitatem; nam color non est cognoscibilis per auditum, sic verò sonus; & è contrario sonus non est cognoscibilis per visum, sic verò calor, &c. Ergo etiam habent inæqualem cognoscibilitatem, sicut inæqualem amabilitatem, ergo ex hoc capite etiam illis erit essentialis illa cognoscibilitas. Confirmo: sicut hi dicunt, ens non est bonum, quia potest amari, sed è contrario idèò potest amari, quia est bonum; ita ego dico, albedo non idèò est verus color quia potest videri, aut sonus verus sonus, quia potest audiri, sed idèò potest videri, quia est verus color, & audiri, quia est verus sonus: ergo esse verum colorem, non est minùs intrinsecum, quàm

esse bonum, nec in hoc ego ullam video differentiam.

Melius ergo & consequentiùs dicimus, vtramque aptitudinem esse essentialem, id est lapidem non futurum lapidem, si non esset possibilis intellectus eum potens cognoscere, sicut non esset possibilis, si repugnaret voluntas eum potens amare, quod vltimum aduersarij fatentur.

Fortè dicent, se non ponere respectum transcendentalē in rebus ad voluntatem possibilem, sed tantum docere, res habere ex se bonitatem talem intrinsecam, vt si possibilis sit voluntas, possint amari. Sed contra, quia hoc ipsum clariùs dico de ente in ordine ad cognitionem, scilicet illud habere talem naturam, vt si possibilis sit intellectus, possit ab eo cognosci, eodem ergo modo de vtriusque dicendum, & faciliùs ergo vtrique eum respectum negare, quàm vni concederem, alteri verò non.

Bonum non distingui obiectiue ab ente, pater ex dictis: nam quantumuis obiectiue ens sit præcisum, nihil ei deest pro eo esse præciso, & consequenter est bonum in se. Deinde eo ipso, quod sit bonum in se, quantumuis præcisum, est etiam amabile, ergo à bonitate transcendentali, in quocumque sensu, non potest præcindi obiectiue ens.

Dices: Potest præcindi à bonitate alteri; non enim repugnat vt per aliquid superadditum fiat bonum alteri, ergo. Respondeo, etiam si concederetur, bonum, quod est passio entis, solum esse bonum in se & amabile, non verò bonum alteri, nihil inde. Deinde respondeo, ipsam rationem entis, quantumuis præcisam, esse bonum alteri, nempe suis differentiis, cognitioni, actui intellectus & amoris, quæ ad illam terminantur, ergo neque à bonitate alteri potest ens obiectiue præcindi.

Quot sunt genera boni, tot & mali vice versâ, quæ ex dictis ita facile intelliguntur, vt non oporteat in eis amplius immorari.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Essentiâ & Existentiâ.

SUBSECTIO PRIMA.

Quædam sententia examinatur.

DEFINIMVS ens in communi per non-repugnantiam ad existentiam; idèò oportet, antequam ad eius diuisiones descendamus, explicare, quid sit ea non-repugnantia, quæ alio nomine dici solet *possibilitas*; & quid sit ipsa actualis existentia; ac denique, quo pacto hæc duo inter se distinguantur. Est autem quæstio hæc valde celebris, & vix bene vquam explicata.

SECTIO I.

Quid sit rem esse possibilem.

PRIMUM quod conuenit creaturæ, est status possibilitatis, à quo extrahitur ad statum existentia, imò Deum, antequam concipiam actu existentem, concipio non repugnantem existere, seu possibilem: idèò primum oportet explicare, quid sit, rem esse possibilem.

OPINANTVR nonnulli recentiores, rem esse possibilem, nihil aliud esse, quàm denominationem extrinsecam desumptam ab omnipotentia Dei, potens illam producere. Mouentur hi, quia omnipotentia est productiua creaturarum: sed idem est, Deum esse productiuum creaturarum, & creaturas esse producibiles seu possibiles, ergo denominatio possibilis desumitur à solâ omnipotentia Dei.

Contra hanc sententiam insurgunt alij, quia omnis denominatio cadit supra aliquod subiectum, ergo etiam denominatio possibilitatis debet cadere supra aliquod subiectum, quod sit & denominetur possibile; ergo possibile non dicit solâ denominationem extrinsecam. Sed huic impugnationi facile respondetur, hic non esse sermonem de possibili in concreto, quod non dubium, dicere

dicere ipsam creaturam supra quam cadit denominationis, id enim quod est possibile, est quid distinctum à Deo, quia id quod est possibile, est creabile, Deus autem non potest seipsum creare; est ergo sermo de formâ à quâ provenit denominatio possibilis, quam dicunt solam esse denominationem extrinsecam à potentia Dei.

3 Hæc sententia potest dupliciter intelligi. Vel ita, ut omnem possibilitatem, etiam in abstracto, dicat consistere in denominatione extrinsecâ ab omnipotentia Dei, & ut sic est falsa. Vel ut solum vellet, aliquam possibilitatem esse denominationem extrinsecam à potentia Dei, & ut sic est vera. Pro quo adverte, duplicem esse in rebus possibilitatem, aliam *remotam*, *proximam* aliam. Possibilitas remota est, quæ in suo conceptu non includit duo prædicata contradictoria: hæc possibilitas est omnino intrinsecâ ipsis rebus, estque fundamentum, ut possit supra illas cadere denominatio potentis fieri ab omnipotentia Dei; & ratione huius differt intrinsecè ens reale à Chimærico; & quando inquirimus, utrum aliquid possit fieri à Deo an non, inquirimus Primò, an illud habeat in se hanc possibilitatem remotam, id est, an eius conceptus obiectivus includat duo contradictoria (ut fusiùs dicam Subsect. 3.) ex quo inferimus, utrum à Deo fieri possit an non. Ecce hæc possibilitas remota etiam in abstracto non provenit formaliter ab omnipotentia Dei, sed à seipsâ, alioquin nulla esset ratio, cur omnipotentia Dei potius denominaret Petrum, quam Chimæram possibilem, si in illis non assignaretur differentia intrinsecâ, ratione cuius *vis* posset subesse tali denominationi, non verò altera, sicut in simili Disputatione præcedenti, num. 15. dixi, amabilitatem radicalem obiecti non posse desumi formaliter ab ipso amore possibili, sed ab intrinsecâ perfectione & bonitate, ratione cuius hoc obiectum potest amari, non verò illud carens tali bonitate. Id ampliùs vrgebitur in responsione ad objectionem contrariam; iam nunc confirmatur mea doctrina. Non enim dicimus, Ideò res est possibilis, quia potest à Deo fieri; sed, Ideò à Deo potest fieri, quia in seipsâ non repugnat; quod in sententiâ aduersariorum, quos impugno, est certius: ipsi enim docent omnipotentiam Dei in se esse omnino independentem à possibilitate creaturæ, ideoque si creaturæ in se non repugnent, Deum illas producere posse, si verò in se repugnent, Deum eundem mansurum, & sine potentia ad eas producendas. Quod verò repugnent vel non, hoc non habent à Dei omnipotentia, sed à seipsis. Hæc illi. Vnde ergo hæc non-repugnantia seu possibilitas remota, ex quâ ut ex connotato resultat in Deo denominatio omnipotentia, non desumitur ex ipsâ omnipotentia, sed est quid ipsam antecedens, vel saltem concomitans? Et hæc est evidens confirmatio contra aduersarios.

6 Fortè dices cum illis: Non possunt esse creaturæ possibiles, antequam possit Deus illas producere, ergo non est prior illa non-repugnantia, quàm omnipotentia Dei. Confirmatur Primò: creaturæ possibiles dicunt essentialem ordinem ad Deum, ergo non possunt esse priores naturâ, quàm intelligatur omnipotentia Dei; quia relatiuum non potest intelligi ante suum correlatiuum. Confirmatur Secundo: aptitudo creaturæ ad existendum, est ad existendum non à se, quia non

est ens increatum, sed ab alio; at aptitudo existendi ab alio, necessariò dicit potentiam Dei, ergo non potest esse prior ea non-repugnantia, quàm omnipotentia Dei. Huic argumento eiusque confirmationibus respondeo facillè, & ex eis meam Conclusionem confirmo. Dico ergo, etiam si ea res dicat ordinem ad omnipotentiam Dei, ut contendit obiectio, ideoque, qui intuituè & adæquatè eam cognosceret, necessariò simul deberet cognoscere omnipotentiam Dei, quod libenter concedo confirmationi argumenti; unde etiam rursus fateor, in re non esse priorem possibilitatem ullam, quàm omnipotentiam Dei, sicut neque è contrario omnipotentia est prior quàm possibilitas creaturæ: at in ordine ad inadæquatos nostros conceptus, possumus concipere rem aliquam non dicere in se duo contradictoria, priùs quàm quidquam cogitemus de omnipotentia Dei; imò & præscindendo ab eo quod illa res sit producibilis, vel existat à seipsâ. Quod patet euidenter: nam in conceptu entis, scilicet quod potest existere, concipio æqualiter Deum & creaturas, & tunc concipio Logicam possibilitatem ad existendum, hanc autem non possum explicare per ordinem ad omnipotentiam Dei, quia abstracto tunc ab hoc, & Deus, qui etiam ibi comprehenditur, non est producibilis à se; ergo in eo primo conceptu de possibilitate non concipitur omnipotentia Dei, ergo neque possibilitas radicalis, in quâ consistit illa ratio entis communis omni enti explicatur per ordinem ad omnipotentiam Dei, sed in seipsâ concipitur, & inde postea nos deducimus, an Deus possit talem rem producere, & tunc ab omnipotentia Dei accipit ea res denominationem aliam proximè possibilis; quæ est secunda possibilitas, quæ in eo consistit, ut illa res non includens duo prædicata contradictoria in suo conceptu, possit absoluitè poni extra causas: & hæc denominatio necessariò provenit formaliter à causâ potente eam rem producere, sicut denominatio proximè amabilis provenit formaliter ab amore possibili, & à potentia potente amare. Ex his ergo intelliges, aduersarios, si omnem possibilitatem dicant provenire formaliter ab omnipotentia Dei, non bene sentire; si verò solum loquantur de proximâ possibilitate, & verum, & quod à nemine negatur docere, ut initio notavi.

9 Iam autem manet difficultas, oportet enim explicare, quid sit subiectum talis possibilitatis proximæ, siue quid sit conceptus obiectivus non includens in se prædicata contradictoria, quod dixi constituere possibilitatem remotam. Et ut ratio dubitandi perfectius percipiatur, sume creaturam numquam existitram, illa modo est possibilis, & modò non includit duo contradictoria in suo conceptu obiectivo, & tamen ea modo nihil habet reale. Quid ergo erit, illam esse possibilem? neque enim videtur posse dici, esse negationem repugnantia: vel enim illa negatio est quid positivum, vel quid pure negativum? Quod sit positivum, dici nequit; nihil enim positivum illius modò datur: nec quod sit negativum pure, quia nihil negativum potest produci; ea autem creatura possibilis produci potest, nec videtur aliquid aliud remanere, in quo possit constitui hoc quod est aliquid esse possibile. Hoc explico sequenti Subsectione.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quid possibile dicat in recto.

10 **Q**uia possibile est nomen concretum, significans subiectum, & quasi formam, sicut album, dulce, &c. iam oportet explicare, quid significet in recto seu in Nominatio, quid in obliquo seu de connotato: primum in hac Subsectione, secundum in aliis. Aduerte tamen pro totâ hac Subsectione, hic non quæri, an sit aliquid de præsentii illud rectum & obliquum, de hoc enim agitur infra, sed solum, quid hæc vox *possibile*, & conceptus illi respondens significet, siue illud significatum sit aliquid actu siue non: non enim est idem dicere, *hoc est significatum huius vocis*, ac dicere, *hoc est à parte rei*; nam voces & conceptus (ut sæpè dixi) possunt actu significare res quæ actu non existunt, ut hæc vox *fuit*, *erit*, &c. Hoc posito,

11 Primum dicendum est, id quod denominatur possibile, esse ipsum ens secundum omnem suam entitatem, quam haberet si existeret. In hoc conueniunt fere omnes. & probatur Primum, quia id recipit denominationem possibilis, quod potest à Deo produci, & quod potest existere; imò esse possibile, nihil est aliud, quam ipsum posse existere, sed entitas positiua & realis Petri v.g. quæ postea existit, est quæ potuit à Deo produci, & illa sola est quæ potest à parte rei existere; ergo illa est quæ denominatur possibilis, ergo possibile in recto, seu subiectum possibilitatis est ipsum ens verum & reale, quod postea existit aut existeret, si produceretur.

Dices: Illud ens nihil est modò, ergo non potest denominari modò possibile. Concedo Antecedens, & nego consequentiam; quia aliquæ sunt denominationes, quæ non requirunt actualement existentiam obiecti supra quod cadunt, ut in hac denominatione cogniti: idem enim Petrus, qui heri exiit, hodie dicitur cognitus, & præteritus; & Petrus ipse hodie non existens, significatur in recto in his concretis. Item: Antichristus dicitur hodie futurus, & ipse qui modò non existit, est subiectum denominationis huius futuri, ergo bene etiam poterit & modò & ab æterno denominari possibile ipsum ens positium, quod existeret si produceretur, licet nec ab æterno modò existat. Ratio est, quia quando dicimus, id quod denominatur possibile, esse ipsam entitatem positiua rei, & eandem quæ existeret, nihil aliud contendimus, quam id, quod in recto intelligimus, & significamus nomine *possibilis*, esse ipsam entitatem positiua quæ existeret; ut autem aliquid cognoscatur seu significetur per conceptum, non requiritur ut existat, ut paulò antè dixi, & per se patet ex cognitionibus, quas de rebus non existentibus habemus, & quibus ipsæ res positiuæ non existentes correspondent; ergo similiter poterit bene esse concretum seu materiale possibilis ipsum ens positium, quod existeret, licet modò non existat.

13 Probatum deinde, possibile in recto includere ipsum ens positium quod postea existeret, quia ens possibile potest prædicari de existenti, & e contrario, ut, hic Petrus existens est, qui fuit possibilis, sed si non esset idem rectum possibilis

cum ipsa re positiua actu existente, non possent inuicem prædicari, ergo idem est rectum vnius & alterius. Respondebis, ut possint inuicem prædicari, non requiri esse positiue idem, sed sufficere esse negatiue idem, id est non esse duo positiua distincta. Sed contra, homo & non ens sunt indistincti in hoc sensu, id est, non sunt duæ entitates positiuæ distinctæ, & tamen non possunt inuicem prædicari, ergo nec possibile posset de actuali affirmari præcisè quia realiter essent indistincti negatiue. Ratio à priori, quia per *id est* non solum negatur distinctio realis, sed affirmatur identitas realis, quæ non potest esse inter extremum reale, & negatiuum.

Hinc colliges, non rectè ab aliquibus constitui possibile secundum totum quod dicit in quadam non-repugnantia negatiua ad existendum; nam illa non-repugnantia negatiua non potest identificari cum re positiua existente, ergo neque illa potest esse adæquatè ens possibile saltem secundum rectum.

SUBSECTIO TERTIA.

Aliqua sententia circa id quod possibile dicit in obliquo.

14 **S**ed quid erit obliquum, quod possibile addit supra ipsum ens? Aliqui dicunt, addere diuersum statum: nam existens est absolute & simpliciter in aliquo statu, possibile verò solum sub conditione, quod Deus velit illud absolute producere. Hæc sententia vel sumit pro conditione voluntatem inefficacem Dei, & ut sic facile impugnatur, quia non omnis effectus posita voluntate inefficaci Dei, existit, quantumuis sit possibilis; ergo possibilitas illius non consistit in eo, quod existit, si Deus velit ineffaciter. Consequentia est bona. Maior certissima, quia non omnis voluntas inefficax Dei impletur, ut quam habet de actibus liberis nostris v.g. de conuersione Petri, qui tamen non conuertitur, licet posset: quo etiam probatur Minor; scilicet adhuc illam conuersionem esse possibilem, licet non sit verum, *existet, si Deus velit ineffaciter*. Quod si sumatur pro conditione voluntas efficax Dei, contra Primum ex ipsi aduersariis, qui libertatem essentiali actui vel actioni constituunt. Ecce enim, actio libera est possibilis, & tamen eius possibilitas non consistit in eo, quod habitura sit existentiam, si Deus eam velit efficaciter: etenim eo ipso, quod sit essentialiter libera, non potest Deus eam efficaciter velle, quia illam redderet necessariam, quod repugnat.

15 Dices: Potest illam velle efficaciter voluntate præfinitiuâ, iuxta dicta à nobis Disputatione VIII. de Animâ, Sectione 4. Sed contra, quia licet id verum sit, posse scilicet eam volitionem præfinitiuâ, possibilitas tamen, imò & futuritio conditionata libera illius actus, est antecedens ad ipsam præfinitionem, iuxta ibidem dicta; ergo possibilitas illius actus non desumitur dependenter à voluntate efficaci Dei, quæ sit præfinitio, ergo nec dependenter à voluntate vllâ efficaci Dei, quia respectu actus liberi non potest essentialiter esse alia voluntas efficax, nisi præfinitiuâ. Secundo absolute rejicitur hæc sententia, quia etiam si per impossibile Deus non posset velle efficaciter plu-

plures effectus, nempe omnes causarum secundarum, adhuc illi essent possibiles: imò, licet de facto possit Deus illos velle efficaciter, tamen per solam voluntatem inefficacem Dei sunt possibiles, vt omnes actus liberi, ergo possibilitas illorum non desumitur ab eorum existentia dependente, vt à conditione, à voluntate efficaci Dei.

Tertiò & vniuersalius idem probò: quia sumo ipsam voluntatem Dei, quam ponis pro conditione vt existant effectus, siue sit efficax siue inefficax, & sic in illà retorqueo argumentum. Illa voluntas pro priori, antequam Deus ad illam se liberè determinet, est possibilis, quia de facto existit, & tamen pro eo priori non existit, vt supponimus; ergo possibilitas non desumitur ex eo quòd existat, si Deus velit, nam Deum velle, formalissimè est existere eam voluntatem: vnde dum dicis, Illa existet si Deus velit, & per hoc explicas possibilitatem illius, perinde est ac si diceret, Illa erit, si erit, quod est ridiculum. Et ratio est, quia nihil potest poni vt conditio ad se ipsum, ergo non potest explicari vniuersaliter possibilitas rei per existentiam conditionatam dependentem à voluntate Dei vt à conditione. Idem clariùs in Deo ipso ostenditur, de quo est verum dicere, esse possibilem; nam si existit, ergo potest; & tamen non bene dicitur, *Deus existet si velit.*

17 Dicunt alij, possibile in obliquo dicere denominationem ab omnipotentia Dei, potente producere eam entitatem. Sed dixi suprà, duplicem esse possibilitatem, aliam remotam, aliam proximam, quam dixi desumi, vt à formà, ab omnipotentia Dei: non est tamen de hac difficultas, sed de primà, quæ præintelligitur, vt recipiat denominationem seu secundam possibilitatem.

Adde, nec explicari per hanc denominationem differentiam rei purè possibilis ab existente, nam etiam res actu existens habet hanc denominationem potens produci ab omnipotentia Dei. Si enim producuntur de facto, bene valet, Ergo possunt produci.

Dices, ens possibile dicere in recto omnes suas formalitates positivas, vt dixi; in obliquo autem addere, eas non habere simpliciter, sed solum secundum quid, & præcisè per non-repugnantiam; ens verò existens eas dicere absolute & simpliciter, & per hoc rectè explicari & possibilitatem remotam, & differentiam entis in potentia seu purè possibilis ab ente in actu. Sed contrà, quia licet verum dicas, adhuc non explicas difficultatem, quid scilicet sit habere eas formalitates non-repugnantes præcisè, & quid sit eas habere secundum quid, de quo in præsentì disputamus.

SVBSECTIO QVARTA.

Vera sententia.

18 **V**t hoc explicem, aduerto, ens dupliciter posse sumi; vel pro possibili Logice, quo pacto etiam res actu existentes sunt possibiles, quia bene valet consequentia affirmatiua ab actu ad potentiam, iuxta Summulisticum axioma: vel pro re in potentia purà, seu pro purè possibili, & non existente actu; & vtramque possibilitatem in præsentì explicare intendimus.

Possibile Logice, prout præcendit à possibili in actu & potentia, arbitror Consistere in eo, quòd si existat talis res, non sequentur ex eà duo contradictoria, hominem v. g. esse possibilem, nihil est aliud, quàm quòd si ponatur à parte rei significatum per vocem homo, non sequentur duo contradictoria. Sicut enim suprà nonnulli possibilitatem explicauerunt per conditionalem, quod si Deus velit, ponetur, contra quos ibidem efficaciter egimus, non quia rem explicarent per conditionalem, sed quia conditionalis non esset bona & adæquata, vt ibidem vidimus; ita nos eandem possibilitatem explicamus per conditionalem, veram tamen & vniuersalem, quæ quidem comprehenduntur omnia possibilia, quia de omnibus illis est verum, quòd si ponantur, non sequentur duo contradictoria: vt sic omnia possibilia comprehenderem, etiam ea quæ existunt sine productione, quæ non comprehendebantur per conditionem aduersariorem, si Deus velit, existit. nam Deus est possibilis Logice, & non explicatur eius possibilitas per conditionalem, si Deus velit, existit Deus: secus verò per nostram, quia etiam de rebus quantumcumque existentibus est verum, quòd si existant, non inferunt duo contradictoria; sicut etiam de actu absolute futuro per hoc auxilium, est verum dicere, erit, si ponatur tale auxilium. nam qui hoc dicit, nec negat, nec affirmat absolute poni, sed præcendit: vnde rectè per hanc conditionalem explicatur possibilitas Logica, vt comprehendit & possibilitatem in actu, & in potentia.

Præterea per hanc conditionalem rectè redditur ratio, cur possit Deus producere, si velit, homines v. g. animalia, &c. non verò Chimæras, quia scilicet si existeret significatum per vocem homines & animalia, non sequerentur duo contradictoria, secus verò si existeret Chimæra. Explicatur etiam differentia intrinseca hominis à Chimæra. Quid sit autem, quòd si existat, non sequentur duo contradictoria, adeò est apertum, vt vix possit ampliùs explicari: cognita enim existentia, quam vel ipsis sensibus percipimus, cognitio præterea prædicatis contradictoriis, quæ sunt est & non est, nulla est maior difficultas in intelligendâ illà conditionali, si existat, non arguitur duo contradictoria, quàm in conditionalis huius cognitione, si Petrus currit, non quiescet, cognitio cursu & quiete.

Aduerte, licet, quando inquitimus an aliquid sit possibile, inquiramus an includat duo contradictoria, n tamen includat, vt in vero sensu accipiat, non posse sumi pro verbo de præsentì, absolute significante actuale inclusionem; res enim non existens absolute non potest includere duo prædicata contradictoria: vnde quoad hoc, etiam Chimæra non includit ea duo prædicata contradictoria actu & absolute, quia si actu non existit, nec actu ea includit; debet ergo illud verbum accipi conditionatè, id est, si existet talis res, non includeret duo contradictoria. Et hæc negatio

gatio conditionalis inclusionis est quæ distinguit hominem à Chimærâ nam de facto etiâ Chimæra non includit duo contradictoria, ut dixi. Cum enim non sit, neque ea unquam includet, quia tamen illa includeret, si existeret, absolute repugnat; non verò homo qui ea non includeret, licet existeret; ergo possibilitas non est explicanda per negationem contradictoriorum independenter ab existentia, sed per illam suppositâ existentia ut conditione. De præsentem autem hoc nihil est absolute & simpliciter, sed solum secundum quid, sicut Petrum conuertendum, si vocetur de præsentem nihil est simpliciter & absolute, sed solum secundum quid, seu conditionatè. Et hoc sensu verum est, quod Auctores supra relati dixerunt, hominem possibilem solum secundum quid, & per non-repugnantiam dicere suas formalitates positivas. Ecce explicatum & rectum & obliquum huius concreti possibile radicaliter; rectum enim est ipsum ens positivum, obliquum verò est illa negatio, seu carentia duarum contradictoriarum casu quo existat.

Hoc ens possibile radicaliter sic explicatum, rursus, si creatum sit, denominatur possibile proximè & formaliter à potentia Dei, potentis illud producere; si increatum, ut actus liberi, ab ipso Deo potente illud habere per idemutatem; si verò Deus proximè denominatur potens existere à seipso sine vllâ causâ. Quæ omnia declarantur exemplo bonitatis, quæ est ea quæ in se habet perfectionem, & hæc postea denominatur amabilis proximè ab amore possibili, qui ad ipsam terminatur.

23 Dices: Si *existere* dicitur possibilitatem, ergo quando *existere* explicas per hanc conditionalem, quod si existeret, non includeret duo contradictoria, dicis, si esset possibile, non includeret duo contradictoria, & consequenter, illud erit possibile, quod si esset possibile, non includeret duo contradictoria, quæ est vitiosa explicatio. Respondeo facile, licet *existere* à parte rei includat possibilitatem, bene tamen à nobis apprehendi ipsam existentiam per modum conditionis, præscindendo à possibilitate, ut ex eo quod sequitur, posita tali existentia, dignoscere possimus, an ea sit possibilis nec ne; imò quotidie ita philosophamur, quando inquirimus, an aliquid sit possibile; inquirimus enim, an ex eo quod illud existat, sequantur duo contradictoria an non. Si sequantur, dicimus repugnare; si non sequantur, esse possibile; ergo possibilitas bene explicatur per hanc conditionalem. Adde, cum existentia nobis magis nota sit quàm possibilitas, rectè posse (licet essent omnino idem possibilitas & existentia) illam per hanc explicare, sicut, si nihil esset possibile, nisi quod necessario existeret, rectè explicaretur tunc possibilitas per hoc, quod est de facto existere, licet à parte rei essent idem.

24 Explicuimus possibile Logicè, prout convenit enti etiam actu existenti, nunc restat explicare ens in potentia, prout condistinctum ab existente. Pro quo dico in primis, tale possibile dicere pro materiali ipsum ens positivum cum prædictâ negatione conditionalis prædicatorum contradictoriorum; unde rectum possibile Logicè, & possibile in potentia, & actu existentis, idem est, sicut rectum Petri albi & Petri non albi; addit verò ens in potentia supra hoc, non habere abso-

lutè talem existentiam, & consequenter nec talem carentiam prædicatorum contradictoriorum: existens verò absolute dicit illud existere, & illam negationem prædicatorum oppositorum, quare non differunt in rebus quas dicunt, sed in modo quo eas dicunt; sicut actus liber futurus tantum sub conditione, differt ab actu futuro absolute, non quidem penes actus futuros, sed penes modum quo eos dicunt, quia absolute futurus dicit actum absolutum absolute & simpliciter; futurus verò sub conditione dicit ipsum actum absolutum, non tamen absolute & simpliciter, sed solum secundum quid, id est conditionatè: ita similiter possibile dicit quidem ipsam entitatem absolutam, non tamen absolute, sed conditionatè: existens verò & dicit absolutam entitatem absolute & simpliciter.

Quod si roges, quid sit eam dicere absolute & simpliciter, seu absolute existere; Respondeo, ipsis oculis videri quid sit absolute existere, v. g. quid sit absolute Petrum non quiescere, currere, loqui, &c. Et hoc est primum principium per se notum, quod non potest amplius explicari. Cognito autem, quid sit absolute existere, & absolute non includere duo contradictoria, facile intelligitur quid sit hoc ipsum habere solum conditionatè, seu secundum quid, ut supra diximus.

SUBSECTIO QUINTA.

Obiectiones quedam solute.

PRIMA sit: In Petro absolute existente non est aliquid in recto & aliquid in obliquo, sed eadem indivisibilis res, ergo si ens in potentia hanc dicit in recto iuxta dicta supra, non poterit dicere in obliquo negationem illius, quia non potest in aliquo concreto dici in recto subiectum, & in obliquo negatio ipsius subiecti; alioquin fieret concretum ex subiecto & negatione subiecti, quod repugnat. Respondeo, rectè fieri posse concretum ex subiecto & negatione illius, non eodem modo quo est subiectum, sed ex negatione illius alio modo; ut v. g. in hoc concreto *Petrus futurus*, dicitur ipse Petrus in recto, in obliquo autem dicitur carentia Petri, sed diversimodè, quia in recto dicitur Petrus cras existens, in obliquo autem illius carentia hodie: item in Petro futuro sub conditione, non tamen absolute in hoc instanti, in recto dicitur ipse Petrus (nam Petrus futurus sub conditione idem est cum Petro absolute futuro, si esset futurus) in obliquo autem dicitur negatio ipsius Petri etiam in hoc instanti, non quidem negatio Petri conditionatè existentis, sed absolute existentis. Pro quo aduerte, ipsam absolutam entitatem, Petri v. g. vel actus liberi, vel cuiusvis alterius rei posse nunc dupliciter considerari, vel quod illa entitas modo sit absolute, vel quod modo solum secundum quid seu conditionatè, utraque autem consideratio est circa eandem rem, sicut affirmatio de Petro quod fuerit, & negatio quod sit, cadit supra eundem Petrum, imò in ipsâ re actu existente potest esse ea duplex consideratio, scilicet, illam esse absolute, & illam esse conditionatè, etiam pro eodem instanti; & licet res sit eadem, quæ utroque modo existit, modus tamen non est idem, quia unus est

est absolute & simpliciter, alius verò secundum quid. Ex quo sic respondeo, purè possibile significare in recto ipsam absolutam entitatem Petri, non quæ modo sit, sed quæ esset tempore quo existeret, nec dicendo, illam esse modò; in obliquo autem negare eandem entitatem absolutam non pro tempore pro quo esset, sed pro hoc tempore, quando non est. Vnde, licet obliquum sit negatio recti, non tamen pro tempore, pro quo dicitur in recto, quia in hoc actu nulla est repugnancia. Id quod correspondet conceptui meo, quo dico, Petrus actu nihil est, esset tamen si produceretur. Rationem à priori ex dictis supra infero, quia quod possibile dicat Petrum in recto, non ideo ipse Petrus debet esse actu, sed solum denotatur, illum actu, quo dico, *possibilis est Petrus*, habere pro obiecto Petrum; potest autem id, quod est obiectum actus, non esse in seipso, & consequenter potest illud rectum dicere negationem sui non in esse obiecti, sed in se ipso. Ex hac solutione facile solues ceteras obiectiones.

Secunda sit: Quia ens existens habet esse absolute, & simpliciter; sed hoc non habet ens possibile, ergo distinguuntur etiam secundum rectum, quia idem subiectum non potest simul esse cum formâ, & negatione illius. Facile ex dictis respondeo, ens existens habere esse possibile pro tempore pro quo est simpliciter, pro eo autem ens possibile etiam habere esse, ens autem possibile solum carere esse simpliciter pro tempore pro quo non est, pro eo autem etiam ens modò existens non habere esse. Ecce pro eodem tempore non habet unum quod non habet & aliud, & consequenter non habent ullum signum distinctionis; nam pro diuersis temporibus, quælibet res quantumvis indiuisibilis, potest habere & non habere eandem formam.

19 Obiicies Tertio: Ens & non ens distinguuntur, sed res existens est ens simpliciter, res verò purè possibilis non est ens, ergo distinguuntur. Respondeo eo modo quò præcedenti obiectioni, res existens est ens simpliciter pro tempore pro quo existit, concedo, nego tamen tunc etiam possibile non esse ens; est ens simpliciter pro tempore quo non existit, nego. Tunc autem etiam possibile non est ens, vnde bene possunt identificari, quia numquam habent prædicata contradictoria.

Sed vrgebis: Possibile modò non est ens, ergo non potest nec cras identificari cum re existente, quia quod est non ens hodie, non potest cras esse ens. Respondeo facile, possibile purè dicere in recto ens, in obliquo verò negationem illius modò; vnde secundum rectum bene potest identificari cum ipso ente existente, non autem secundum id quod dicit in obliquo, quia in obliquo dicit carentiam entis, quæ non potest identificari cum ente, seu non existere, quod non potest identificari cum ipso existente. Vnde illud idem quod hodie concipio in recto, potest cras esse ens, non tamen retinendo cras illam negationem, quàm hodie habet, *non existendi*.

30 Replicabis: Modò non datur, neque etiam rectum, ergo neque in recto potest possibile dicere ens. Sed iam feci satis obiectioni huic, ostendens, quando dicimus, possibile dicere in recto ens, non intendere, dari modò illud ens, sed præcisè illud modò significari per *res possibile*, quod

benè potest fieri, licet modò non deatur vnde rectum possibilis benè potest identificari cum re existente, quia rectum est ipsa res existens, quam ego modo significo, & concipio per illum actum quo dico *possibile*, etiam si actu ea non sit; quia ut ego concipiam aliquid non oportet ut illud actu existat, vel actu sit; & vno verbo quando dico, Rectum possibilis identificatur cum existente; nihil aliud volo, quàm dicere, Idem concipio, quando dico *possibile*, & quando dico *existens*. sed hoc in vno actu est in se, in alio solum in intellectu; & ut infra dicam, hinc apud multos orta est huius questionis difficultas, quod non distinxerint inter hæc duo, *actu concipere*, vel significatur, & *actu existere in se*.

Obiicies Quarto: Res possibilis est ab æterno, sed non est ab æterno res existens, ergo etiam secundum rectum distinguuntur. Respondeo, rem possibilem non esse ab æterno simpliciter, sed secundum quid, & per non repugnantiam, id est, ab æterno esse verum, quod si existat, non arguet duo contradictoria; hoc autem pacto etiam res existens, & ipsa existentia est ab æterno, ut per se patet.

Obiicies Quinto: Non omnis res possibilis semper existit, ergo res possibilis non est semper idem cum actuali. Respondeo, rem possibilem tunc esse idem simpliciter cum re actuali, quando ipsa res possibilis verè & simpliciter est; quando verò non est simpliciter, non identificatur cum actuali, quia neutra verè est; sicut animal rationale est idem cum homine, quando ipse homo verè est; quando verò non est verè, neque etiam identificatur verè & simpliciter, sed solum secundum quid, & conditionatè, id est, si essent, quod per hanc conditionalem declaratur, *si homo sit, est animal rationale*, de quo paulò fusiùs posita: hoc tamen non tollit, ut absolute & simpliciter idem concipiatur in conceptu hominis, quod in conceptu animalis rationalis, ita similiter idem concipitur in conceptu possibilis, & existentis, licet actu non identificentur, quia *actu possibile*, & *existens* non sunt verè; quando autem dicimus, *possibile*, & *existens* secundum rectum esse eodem, solum contendimus idem concipi in recto in conceptu possibilis & in conceptu existentis, siue absolute identificentur & à parte rei sint idem, quia absolute existunt, siue non identificentur, eo quod non existunt.

Obiicies Sexto: Aliquæ sunt propositiones, quæ dicuntur æternæ veritatis v. g. *homo est animal*, ergo quia homo ab æterno verè est animal, etiam si actu non existat. Aliqui putant, ab æterno dari aliquid quod sit homo, seu essentia hominis: videntur enim sibi imaginari, essentias omnes in aliquibus tenebris compactas simul, essentia tamen nuda, de quibus sic posset affirmari, *essentia hominis est esse animal*, &c. Occasionem huic errori dedit fortè Latinum verbum *essentia*, quod in eis propositionibus ponitur, & videtur aliquid de præsentia significare quod verè sit, hoc autem nihil aliud esse potest quàm essentia, ergo hanc dantur ab æterno. Et hinc etiam formatur argumentum, quod Sectione sequenti quinto loco pro distinctione essentia ab existentia ex aduersariis referemus. Hæc tamen rota doctrina & Fidei quidem, quia nihil prorsus à Deo distinctum

Atum erat verè & realiter, antequam Deus illud crearet; si autè fuissent essentia, cum illa sint quid reale & præcipua creaturarum pars; fuissent certè ab æterno satis multa, & à Deo distincta. Deinde, illæ essentia non possent à Deo verti in nihilum, nec haberet supra illas dominium, essentque ens à se. Rationi naturali hæc doctrina repugnat, nam si ab æterno verè essentia fuissent, verè etiam existissent; nam esse & existere est idem omnino, unde existentia illis superueniens parum illis postea attulisset vilitatis, idèd in hoc puncto.

Dicendum est, ab æterno hominem tam non fuisse, quàm non fuit Chimera, aut entia alia ficta, sed solum peruisse esse, quod non est, fuisse; sicut me posse eligi in Regem, non est me esse Regem; aut posse me frigidari, non est esse frigidum. Dico ergo, ab æterno hominipotuit esse animal rationale, non tamen fuit. Neque obest, dici per verbum *est homo, est animal*: nam etiam dici solet, hæc res est præterita, neque idèd dicimus esse actu aliquid de præteriti. Idem est, quando dico, *Petrus est amantur*, licet ponatur verbum *est*, de præteriti, non magis significat actu aliquid existens, quàm dum dicitur, *Petrus amabit*. solum ergo dicuntur propositiones illæ æternæ veritatis, quia idem significat semper ex parte obiecti *homo & animal rationale*, si hominem existentem, animal item rationale existens; si hominem possibilem, animal rationale possibile: idèd dicuntur propositiones æternæ veritatis, ad differentiam illarum, *homo est albus*, *homo est niger*, non enim est necessarium, ut si existat homo, existat etiam niger & albus. Si autem vellemus rigore attendere, tam est falsum, *homo est animal ab æterno*, quàm *homo est albus*, quia ab æterno, quandoquidem non fuit, tam non idem significatur animalitas rationalitati, quàm non vnitur homo cum albedine aut nigredine, &c. Vide Huradum Disputat. 8. sect. 2. & 3. vbi fusè probat, rem in potentia absolute in se nihil esse.

35 Sed hinc virgebis: Ergo etiam hæc erit vera ab æterno, *homo est existens*. Pater, quia tam necessariò homo, si sit, erit existens, quàm si sit, erit animal rationale; ergo si ob hanc rationem est vera, *homo est animal rationale*, etiam erit, *homo est existens*. Respondeo, in re id ita esse, ex communi tamen acceptione hanc, *homo est existens*, sumi in sensu absoluto & proprio, unde est falsa, si homo absolute non existat; illam verò, *homo est animal*, sumi in sensu conditionato explicato proximè, idèd esse verum, licet in rigore falsa sit, sicut prima.

SECTIO II.

Proponitur sententia affirmans Essentiam distinguì ab Existentiâ.

36 QVÆRIMVS, an in Petro existente dentur duæ entitates, quarum vna sit essentia, alia verò existentia; sicut in albo dantur duæ entitates, quarum vna sit subiectum, alia verò albo constituens subiectum album. Vbi aduerte, non quæri, vtrum in Paulo existente dentur absolute vtrumque duæ entitates; id enim certum est, datur enim eius essentia, item actio quâ producitur, vbicatio & duratio, iuxta dicta à nobis in Phisicis. Quod si aliquam ex his velis vocare existentia, tecum iam non erit dissidium tam de re quàm de voce. Vt ergo quæstio sit de re, inquirimus, an ultra essentia,

actionem, durationem, vbicationem, detur in Angelo v.g. alia entitas, vel realis vel modalis, quæ munus exerceat existentia, & quæ producat per productionem essentia.

Aduerte deinde, non esse nobis sermonem de essentia diuinâ, quia cum de conceptu Dei sit, actu esse in rerum natura, dubium non est, eius essentiam ab ipsius existentia nequaquam distinguì, est ergo sermo de solâ creatâ essentia.

Prima sententia hac in re docet, essentiam & existentia distinguì inter se realiter, vt duas entitates reales. Pro hac referuntur à P. Suarez Tomo 2. Metaph. Disputat. 31. sect. 1. num. 3. Capreolus, Caietanus, Sencinas, Aegidius, Albertus & Auicenna.

SUBSECTIO PRIMA.

Aliqua argumenta pro hac sententiâ.

PRIMUM potest esse fundamentum huius sententia, quia prædicata essentialia conueniunt creaturæ sine interuentu causæ secundæ, idèdque propositiones de prædicatis essentialibus sunt æternæ veritatis; sed existentia conuenit creaturæ à causis, ergo distinguuntur realiter ab essentia. Respondeo negando Minorem; neque enim solâ existentia creaturæ, sed ipsa etiam essentia est creatura, & consequenter non est ens à se, sed dependens ab alio, id est à Deo & alijs causis à quibus producitur.

Ad illud de propositionibus æternæ veritatis, feci satis supra numero 34. nunc retorqueo argumentum, quia de ipsâ entitate existentia, vt distincta ab essentia, possunt efformari aliquæ propositiones essentialia, & æternæ veritatis, vt *existentia est entitas, est creatura, &c.* ergo etiam in ipsâ existentia deberet distinguì esse entitatem & creaturam, & sic in infinitum; ergo propter hoc argumentum non magis distinguenda est existentia Angeli ab eius essentia, quàm non distinguatur essentia existentia ab ipsâ existentia; neque possibile est distinguere aliquod prædicatū, quantumvis illud voces ipsammet actualitatem existentia, de quo etiam vt sic distincto non sit verum illud, *ens esse ab alio, creaturam accidens, aut substantiam*, quæ omnia sunt prædicata, quæ æternæ veritatis à se dicuntur.

Secundum: Quia omnis creatura debet esse composita verè & realiter vt distinguatur à Deo omnino incomposito; atqui nō est alia compositio quàm ex essentia & existentia, ergo. Quod si dicas componi creaturam ex substantia & accidente; Contrâ, quia hæc non est compositio vniuersalis, non enim conuenit ipsi subiecto & accidenti secundum se, cum tamen secundum se sint creaturæ. Sed primum conuerto contra hos argumentum, quia etiam compositio ex essentia & existentia non conuenit ipsi essentia & ipsi existentia secundum se, sicut accidenti secundum se & subiecto secundum se per se non conuenit compositio accidentalis, ergo nec tu assignas compositionem vniuersalem omni creaturæ. Respondeo ergo, de ratione creaturæ non esse, vt qualibet sit composita, & includens duas partes, qualibet enim pars non includit duas, alias daretur processus in infinitum, & ipsa anima rationalis, prout distincta ab omni existentia, vbicatione, modo, & omni aliâ

B b b b forma

formā deberet adhuc esse composita, quia etiam ut sic est creatura; hoc autem omnino est in terminis implicatoriū, scilicet ut res indivisibilis, etiam prout indivisibilis, dicat compositionem. Absolutē ergo respondeo Primō, fortē non repugnare aliquam creaturā incapacem compositionis, quā v. g. per se esset alligata huic tempori, loco, &c. ideoque hæc omnia per suammet essentiam haberet, & fortasse hoc in illā maiorem imperfectionem diceret, quā esse indifferentem per vicationes & durationes distinctas, ad durandum in hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore. Quod si hoc diceret maiorem perfectionē, saltem illa perfectio non esset infinita, penderet enim à Dei dominio, & naturā suā esse ens contingens (potuit enim à Deo non produci absolutē) itē haberet infinitas alias imperfectiones; ergo carere compositione non est conceptus infinitus repugnans creaturæ.

40 Secundō respondeo, solū esse de ratione cuiuslibet creaturæ, vel esse compositam, vel esse aptam componere cum aliā, hoc autē omni creaturæ potest cōvenire, etiam si existentia non distinguatur, quia potest esse mutabilis, & apta uniri cum aliquo accidente, aut substantiā, aut modo.

Tertium: Quia esse creaturæ est esse receptum, ergo existentia recipitur in essentiā, cū non sit aliud in quo recipiatur. Quod verō sit receptum, patet, quia nisi esset receptum, non haberet unde limitaretur. Nego Antecedens. Probationem primam infringo in ipsā essentiā, quā non est recepta etiam per te, & tamen ut talis est limitata perfectionis; ergo ut aliquid sit limitatum, non debet habere subiectum, cū ipsum subiectum sit limitatum, & non ab alio; creatura ergo est limitata formaliter à seipsā, efficienter à suis causis.

41 Quartum: Quia in compositis ex materiā & formā esse siue *existere* non est compositum, sed indivisibile, cadens supra utramque partem, alioquin materia non esset pura potentia, neque esset ens à formā; ergo esse seu *existere* distinguitur à materiā & formā, ergo ab essentiā. Nego Antecedens, quia esse hominis v. g. qui componitur ex materiā & formā, est esse compositum, ipsum scilicet corpus & anima unita, iuxta Symbolum Athanasij: & idem est in omnibus alijs compositis. Ad ea quæ pro absurdo afferebantur, fateor libenter, materiam non esse puram potentiam, nec esse ens à formā, sed à se ipsā intrinsecē, de quo satis in Physicis, ubi hæc omnia Thomistarum axiomata ex professo impugnavi. Hic solū obferuo, ab eis in Physicis probari, materiam non *existere* per existentiam propriam, quia existentia est distincta ab essentiā, & potest vnica existentia sufficere pro duabus partibus: iam autem in præfenti probant, existentiam distingui ab essentiā, quia materia prima non habet existentiam propriam, sed distinctam, ubi manifestissimum circulum committunt: nec mirum, quia tam difficiles sententiæ non possunt nisi petēdo principium, & vna ex aliā sine solidiori fundamento probari.

42 Quintum: Quia essentia separatur ab existentia, ergo distinguuntur. Consequentia videtur bona. Antecedens autem probatur Primō in humanitate Christi Domini, quæ existit per existentiam Verbi; Secundō in quantitate Eucharistiæ per existentiam supernaturalem; Tertio, quia corrumpitur existentia manente essentiā. Respondeo ne-

gando Antecedens. Ad primam probationē dico, humanitatem Christi per propriam existentiam *existere* existentiam idem dico de quantitate in Eucharistiā, quæ ideo præcisè dicitur *existere* supernaturaliter, quia actio quā produciuntur est supernaturalis quoad substantiā, procedit enim à solo Deo sup-
43 plente defectum subiecti, id est materiæ primæ. Ad tertium Sectione præcedenti ostendi, sine existentia non manere essentiam simpliciter, aliā fuisse verē & realiter ab æterno aliquid reale, distinctum à Deo, nempe essentia hominis, quod est erroneum. Solū ergo manet essentia secundū quid, & per non-repugnantiam, quomodo etiam mater ipsa existentia iuxta ibidem dicta: & nunc idem videtur ampliū, quia hæc entitas existentia distincta, quam tu ponis, potuit ab æterno produci, ergo fuit possibilis, & tamen non fuit ab æterno producta, ergo habet in se aliam existentiam actūalem, de quā secundā idem redibit argumentum vique in infinitum.

SUBSECTIO SECUNDA.

Alia argumenta pro eadem sententiā.

SEXTVM: Quia *existere* hodie non est *existere* heri aut cras, & tamen eadem est essentia hodie & cras, ergo essentia distinguitur ab existentia. Hoc argumentum, cui nonnulli recentiores valde confidunt, nimium probat, scilicet, existentia hie vel Romæ esse diuersam: nam *existere* hie non est *existere* Romæ, ergo sunt duæ existentie præcisè ex eo, quod sim hie, vel Romæ, quod tamen est absurdum. Præterea probat, essentias esse diuersas; nam essentia hesternæ potest separari ab hodiernā. Dixi in Physicis, *existere* hodie & heri dicere duo, & ipsam existentiam, & rationem formalem quæ respondet hodierno diei; ita existentia est eadem, duratio autem est diuersa: sicut homo albus dicitur duo, & hominem qui est albus, & albedinem quā redditur albus; homo semper idem est, siue sit albus siue niger, albedo tamen & nigredo non sunt idem. Vide quæ dixi Disputatione xv. Physicæ à numero 5, probans durationem distinguui.

Septimum: Quia primum & principale discrimen inter Deum & creaturas est, Deum esse suum esse, seu suum *existere*; creaturas verō non esse suum *existere*, ergo, quia in Deo non distinguitur essentia ab existentia, secūs in creaturā. Consequentia videtur bona: nam si existentia creaturæ esset idem cum essentiā, esset suum *existere*. Antecedens autem probatur communi Patrum auctoritate, qui id expressè videntur docere: ratione item naturali, quæ docet creaturam esse contingentem, ideoque non esse suum *existere*. Sed in primis retorqueo argumentum in ipsā existentia, quæ est creatura, & adhuc est suum *existere*, cum tamen per te non existat per aliam existentiam. Deinde respondeo, differentiam inter Deum & creaturam non consistere in distinctione essentia ab existentia, sed in contingentia ipsius essentia, quæ contingentia datur in ipsā existentia, sine aliā enim existentia distincta est adhuc indifferens, ut sit vel non sit, cur ergo idem non erit in essentiā?

Replicabis, existentiam non esse indifferentem ut sit, nec posse concipi nisi existentem; sicut homo nec potest concipi, nec *existere*, nisi sit animal. Ratio

tiô est, quia de conceptu existentia est actu existere. Respondeo, hoc Antecedens euidenter esse falsum: nam hæc existentia Petri non fuit ab æterno, & tamen ab æterno potuit produci; item antequam Deus eam produceret; eam cognouit, vt posset illam amare & velle producere, ergo hæc existentia non minus fuit ab æterno possibilis, & non existens, quàm ipsa essentia.

- 46 Quod si dicas, existentiam non existentem non esse existentiam, tunc etiam dico, essentiam non existentem non esse essentiam. Addo verò sicut hoc non obstante, illa existentia numero potuit à Deo cognosci antequam existeret, & cognosceretur licet non existeret (de illa enim cognoscebat Deus, se posse illam producere) idem enim dico ego, eodem modo à Deo cognosci de ipsâ essentiâ, nec aliter essentiam esse possibilem, quàm ipsam existentiam, nec aliter esse creaturam, & ens ab alio seu non esse suum, quàm ipsam existentiam. Exemplum quod de homine affertur, non est ad rem, quia ego non dico existentiam posse concipi sine essentia, sicut homo non potest concipi sine animalij; sed dico, id quod concipio, quando dico existentiam, posse aliquando in se verè esse, aliquando solum in intellectu: sic aliquando ipse homo cognitus potest in se verè & absolute esse animal, aliquando in se non esse, quia cum sit ens defectibile, potest iam esse simpliciter, iam verò simpliciter non esse in se; sed solum cognosci, vt cognoscebatur à Deo, antequam crearetur.

- 47 Octauum: Quia scientia simplicis intelligentiæ seu creaturarum possibilium distinguitur in Deo à scientiâ visionis, quæ est ad creaturas futuras, sed non potest assignari vlla differentia, nisi dicatur, existentiam ab essentiâ distingui, & per scientiam visionis cognosci existentiam, per scientiam verò simplicis intelligentiæ cognosci solum essentiam, ergo distinguitur essentia ab existentia. Omisissis alijs solutionibus, quæ non videntur explicare, sed confundere difficultatem, Primum retorqueo argumentum contra aduersarios, quia de ipsâ existentia distincta habet Deus scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, quia, vt ex dictis proximè constat, de illâ cognoscit esse possibilem, & præterea esse existentem. Vide ergo, quâ ratione possit eas scientias circa existentiam sine obiectorum diuersitate distinguere, & eadem ego illas distinguam circa essentiam.

- Abolute respondeo, scientias has non per obiecta, sed ex modo ea cognoscendi distingui. Sicut enim cognitio, quam habet Deus de conuersione Petri absolute futura, non distinguitur ex parte obiecti à cognitione, quam habet, quod si ponatur vocatio, conuerteretur. Nam per primam cognitionem cognoscit Deus & vocationem & conuersionem, hæc autem etiam cognoscit per secundam, distinguuntur tamen ex modo cognoscendi; nam scientia media solum apprehendit vocationem, non verò illam iudicat, nec affirmat, sed solum dicit, *Si vocetur Petrus*, iudicat verò conuersionem, posita vocatione, secuturam: at per scientiam absolutam non solum apprehendit vocationem, sed etiam affirmat eam. Vnde non solum dicit *si vocetur*, quæ non est affirmatio vocationis; sed dicit *vocatur*, quod est formalissimè affirmare. Idem contingit in nobis, quando dicimus, *Petrus currit & mouetur*, & *si currit mouetur*; per vtramque enim cursus & motus cognoscitur, sed non per

vtramque affirmatur. Ita similiter dico; Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere essentiam & existentiam, item cognoscere eam essentiam non fundare duo contradictoria, quod est idem; ac non repugnare, iuxta dicta à nobis supra. Hæc autem omnia cognoscit Deus per scientiam visionis, nec aliquid amplius. Dico, *nec aliquid amplius*, contra nonnullos, aientes has scientias differre, quia cognoscunt diuersos status; quod euidenter inde refellitur: nam quisquis ille sit status, qui per scientiam visionis cognoscitur, cum etiam ille formalissimè sit possibilis, & non necessario existens, debet cognosci etiam per scientiam simplicis intelligentiæ. Et hæc sit ratio à priori, cur hæ scientiæ non possint per obiecta distingui, quia scilicet nulla entitas, vel status entitatis, vel negatio potest esse existens, quæ non sit possibilis; neque è contrario nihil possibile, quod non posset esse existens, ergo nihil potest videri per scientiam visionis, quod per scientiam simplicis intelligentiæ non fuerit cognitum, non est ergo differentia, nec potest esse ex parte obiecti, sed ex parte cognitionis, quod per scientiam simplicis intelligentiæ apprehendit essentiam & existentiam, non tamen eam iudicando nec affirmatiuè nec negatiuè, sed per actum qui explicatur per hæc verba *si existat, si sit*, sicut cognoscit vocationem, cum dicit, *si vocetur*; affirmatur verò, *si sit talis essentia, non secutura duo contradictoria*, quod est affirmare eam esse possibilem; at per scientiam visionis affirmat non solum non sequi duo contradictoria, si sit talis res, sed etiâ affirmat ipsam rem; sicut affirmat conditionem, scilicet vocationem ipsam, quando dicit, *Petrus vocatur & conuerteretur*, quæ differentia, vt per se constat, non in obiectis, sed in actibus ipsis versatur. Et hæc sufficiant ad explicandam harum scientiarum diuersitatem; de quâ fusiùs Theologi, cum quibus de illâ egi in materiâ de scientiâ Dei.

Nonum argumentum sit: Calor v.g. dicit ordinem transcendentalem ad ignem vt possibilem, & non ad ignem vt existentem, ergo ignis possibilis & existens distinguuntur, aliàs non posset vnus esse terminus alicuius relationis, alter verò nō ea, enim essent duo contradictoria, quæ nō possunt eidem rei conuenire. Respondeo Primò, retorquendo hoc argumentum, calor respicit existentiam ignis vt possibilem, & non vt existentem, ergo in ipsâ existentia sunt duæ res distinctæ, & sic in infinitum. Respondeo Secundò, quando dicimus, calorem v.g. habere ordinem transcendentalem ad ignem possibilem, nihil aliud nos contendere, quàm calorem esse talis naturæ, vt si per impossibile repugnaret ignis, repugnaret etiam & calor. Vnde non minus ad existentiam quàm ad essentiam ignis terminatur ille respectus, non tamen ad illas quæ aliquid sint de præsentia, & actualiter; sed ad eas quæ essent: quia verò calor nō petit vt absolute aliquid sint, ideo non dicitur respicere essentialiter existentiam, sic verò essentiam. Vbi reiiciendi sunt nonnulli recentiores, qui dicunt, illam relationem essentialem esse ad iudicium Dei, quo iudicat ignem esse possibilem: hi, inquam, reiiciendi; quia, etiam si Deus per impossibile non intelligeret, calor penderet ab igne possibili, & non ab Angelo possibili v.g. ergo hæc dependentia non est à iudicio Dei, sed modo à nobis explicato.

Aliter infra responderi potest argumēto: Calor petit ignem possibilem; distinguo ignem qui actu

fit possibilis, seu possibilitatem, quæ actu sit aliquid, nego: respicit illum qui esset si produceretur; concedo Antecedens, primam consequentiam & secundam distinguo: calor non respicit existentiam; distinguo: existentiam quæ actu aliquid sit, concedo: quæ esset si produceretur, nego. Vnde rursus nego, diuersa prædicata conuenire essentia & existentia, quia vtrique eodem modo respicitur; sed quia respicitur existentia & essentia, ita ut non petat calor eas proprie esse actu, ideo est æquiuocatio, & videtur respici possibilitatem sine existentia, quod tamen falsum est, iuxta dicta.

Vltimum: Quia substantia distinguitur à substantia, ergo & existentia à re existente. Sed admissio Antecedente, nego consequentiam: disparitas constabit ex Sectione 3. vbi probabitur, non posse distinguere existentiam: & ex Disp. 111. vbi substantia distinctionis necessitas explicabitur.

52 Hæc argumenta, quæ pro distinctione reali inter essentiam & existentiam afferuntur, possunt etiam afferri, ad probandam distinctionem modalem, vel ex natura rei, imò si quam probant, solùm hanc, & non maiorem distinctionem; quare minus improbabiler philosophantur, qui secundam in hoc puncto sententiam tenent, Scotus scilicet, Henricus, & alij apud P. Suarez supra num. 11, essentiam ab existentia solùm distinguunt modaliter. Nos eis, sicut his fecimus satis, dum pro distinctione reali afferuntur, facimus etiam pro modaliter. Alia autem argumenta specialia pro hac modaliter distinctione non sunt, ideo non est ampliùs in hac sententia immorandum.

SECTIO III.

Vera sententia proponitur.

Ex dictis Sectione præcedenti non erit difficile veram hac in re sententiam propugnare: ea est, essentiam & existentiam à parte rei nullo modo distinguere. Hæc est communissima inter recentiores nostræ Societatis, & ex antiquioribus pro eâ referuntur à P. Suarez supra numero 12. A. lenis, Aureolus, Henriquez, Godefridus, Durandus, Gabriel, Heruæus, Gregorius, Nominales omnes, alique plures, quibus ipse num. 13. subscribit. estque sententia Aristotelis 4. Metaph. cap. 2. & lib. 5. cap. 7.

53 Eam probo Primò, aliis argumentis omisiss, quia sine necessitate non sunt distinguendæ entitates, sed nulla necessitas est in præsentia distinguendi essentiam ab existentia, vt ex Sectione 2. constat, non sunt ergo distinguendæ. Confirmatur Primò, quia fundamentum distinctionis est separabilitas saltem non mutua, sed neque essentia potest esse sine existentia, nam eo ipso quod essentia sit, existet, imò non est aliud existere quàm esse, vt dixi supra, neque existentia potest separari à essentia (vt fusiùs ostendam in tertio argumento) ergo inter essentiam & existentiam nullum est distinctionis vestigium, vt quid ergo distinguendæ sunt? Confirmatur Secundò, si ob aliquod ex argumentis præcedentibus distinguimus essentiam ab existentia, etiam in ipsa existentia debemus aliam distinguere existen-

tiam, & sic in infinitum: vt enim constat ex dictis Sectione 2. nullum est argumentum, nec potest esse, probans essentiam distinguere ab existentia, quod non probet eodè modo, distinguere ipsam existentiam àliam existentiam, & sic in infinitum; ergo ne cogamur ponere processum infinitum, negandum est existentiam ab essentia distinguere.

Secundò-principaliter probatur, quia nihil potest fieri ens intrinsecè formaliter per aliquid à se distinctum, sed existentia est id quod aliquid fit ens formaliter in actu, ergo non potest distinguere ab essentia. Consequencia est bona. Minor etiam ab aduersariis admittitur. Maior autem sic probatur efficaciter: quia vel illud quod recipit existentiam, vt adæquatè distinctum ab existentia, ipsa est ens, vel non. Quod non sit ens, dici nequit, aliàs non posset recipere realiter ipsam existentiam; ergo dicendum est, esse ens, tunc scilicet: Illud vt adæquatè distinctum ab existentia, est ens, ergo existentia distincta non dat illi esse ens, ergo id quod dat illi esse ens, & per se est existentia, non potest esse distinctum ab illo.

Dices, hoc argumentum infringi in vocatione distincta, nam Petrus v. g. vt cōdistinctus ab vocatione, vel est in loco, vel nō. Si est, ergo non eget vocatione distincta; si non est, ergo iam non sunt duæ res in loco, sed vna tantum, nempe ipsa vocatione, quod est contra omnes; ergo sicut ipsa vocatione & seipsam reddit præsentem huic loco, & simul Petrum cui vnitur, ita etiam poterit existentia & seipsam & suum subiectum reddere ens, licet illud vt cōdistinctum ab ipsa non sit ens. Sed contrà, quia Petrus, vt recipit vocationem, habet sufficientem capacitatem, si supponatur ens reale, etiam si non supponatur vocationem; sicut subiectum ante albedinem non supponitur album. Vnde non mirum, si & possit vniri cum illà vocatione, & ab eâ reddi vbicatus, sicut potest vniri cum albedine, & ab eâ reddi albus; Petrus autem vt cōdistinctus ab existentia, si non sit ens, sed purum nihil (vt sunt modò & fuerunt ab æterno res non existentes) nequit illi realiter vniri existentia, aut formaliter illi communicari, & consequenter nec per vniōnem suam cum illo illud reddere ens aut existens, ergo nihil potest fieri ens intrinsecè & formaliter per aliquid à se distinctum, ergo existentia dans esse intrinsecè & formaliter, non potest realiter distinguere à re existente. Dixi, *formaliter & intrinsecè*, quia efficienter & extrinsecè omne, quod producit ab alio distincto, fit ens, id est, ab alio accipit efficienter essentiam, omne enim productum necessariò debet distinguere à producente, iuxta dicta in Physicis. At existentia non reddit existentem essentiam vt causa efficiens, aut actio productiua illius: si enim hoc esset, libenter fateremur, existentiam posse distinguere ab essentia, id est actionem à re producta; solùm ergo dat esse intrinsecè & formaliter se communicando & vniendo. quomodo autem communicabit aut vnietur existentia ei rei quæ nihil est, vt cōdistincta ab ipsa existentia: vniō enim realis semper debet esse inter extrema realia.

Confirmo: ipsi aduersarij censent, existentiam distinctam causari materialiter ab essentia, ergo hæc, vt cōdistincta ab existentia, adhuc existit. Patet, quia nihil purè possibile potest realiter producere (nemo enim dat quod non habet)

bet) ideoque in Physicis ostendimus Disputatione v. i. Sect. 4. essentialiter requiri existentiam ad causandum; ergo essentia adhuc, ut condistincta ab existentia, existit, & consequenter id non potest formaliter accipere ab existentia distincta.

Tertium argumentum sit: Quia in Petro existente v. g. dantur necessariae duae res actuales absolute existentes, nempe essentia ipsa & eius existentia, utraque enim est ens reale actu educta à statu purae possibilitatis. Rogo autem iam, an per actionem productivam utraque attingatur, & utraq; educatur ab eo statu purae possibilitatis ad actuale statum existentiae, an vna tantum illarum, scilicet existentia. Si dicat huc secundum, ergo essentia non est magis modo ens actuale & simpliciter, quam fuerat ab aeterno; nec minus fuit ab aeterno quam modò; & consequenter illa semper est quid improductum, & quid independentens à causâ, & consequenter non est creatura; sed tam erit ens à se, quam Deus ipse, quod absit à Philosopho, & praecipue à Catholico. Si verò dicat utramque produci, ergo essentia, prout condistincta ab existentia, ponitur per actionem efficienter extra causas & formaliter per suam entitatem. ut quid ergo eget distinctâ existentia, per quam formaliter existat, cum ipsa per suam formalem entitatem, ut condistinctam ab existentia, terminet productionem, & extrahatur ab esse possibili ad actuale.

Confirmant argumentum ex his quae docent aduersarij (& quidem consequenter ad sua principia) humanitatem scilicet Christi Domini existere per existentiam Verbi tum sic: Humanitas Christi Domini terminat in tempore de nouo actionem productivam sui (quoniam enim Catholicus dicat, eam humanitatem non magis nunc esse productam, quam fuerat ab aeterno; sed illa humanitas non producitur de nouo, eò quod producatur eius existentia (haec enim est existentia Verbi, quae est improducta) ergo ipsa essentia humanitatis per se sola est apta produci de nouo, & extrahi ex causâ ad statum actuale, quod formalissimè est existere; ergo formaliter per se ipsam est existens, & ens actuale productum.

Dices, humanitatem produci de nouo, quia vnitur existentiae Verbi, seu quia producitur vnio illius cum Verbo. Sed contrâ, quia in primis multi ex aduersariis non admittunt ullam entitatem vnionis distinctam ab humanitate & Verbo, si aut non admittunt inter animam & corpus; dicunt enim, ea esse vnita, solum dicere humanitatem, prout in Verbo, quod nullam dicit entitatem distinctam ab utroque; ergo hi non possunt aliquid assignare quod producatur de nouo, nisi ipsam humanitatem. Contrâ vniuersaliter, quia in ipsâ vnione fit idem argumentum, essentia enim illius vnionis producitur in tempore de nouo, quin producatur eius existentia, quae per se est existentia Verbi, ergo essentia vnionis sola, & non eius existentia distincta de nouo producitur, & ponitur extra causas, ergo essentia etiam ut condistincta ab existentia, verè producitur, & fit ens actuale, quod est esse existens; ergo prout condistincta ab existentia existit extra causas, ergo id non habet formaliter ab existentia, sed à seipsâ. quòd si id verum est in essentia vnionis, verum etiam erit in reliquis essentis.

Confirmatur vltimè ex his, quae aliqui ex aduersariis docent, scilicet, posse destrui existentiam indestructâ essentia; item & posse existere existentiam sine essentia diuinitus. Ex quo sic Primò argumentor: Ergo modò de facto, quando corrumpitur essentia, non ideo præcisè corrumpitur, quia corrumpitur eius existentia (per te enim potest corrumpi existentia diuinitus, quin essentia) ergo vltra existentiam corrumpitur de facto ipsa essentia, ergo haec non habet præcisè esse ens actuale, quin habeat existentiam distinctam; sed etiam à seipsâ intrinsecè, efficienter verò ab actione, quâ producitur, ideoque poterit esse ens actuale sine existentia distinctâ, ergo & existens sine existentia distinctâ. Pater, quia nihil aliud est ens existens, quam ens actuale productum in rerum naturâ. Secundò argumentor: Quia si existentia potest conservari non productâ essentia, ergo, quando producitur essentia, & ponitur sub illâ existentia, sola essentia de nouo producitur, & de nouo fit ens actuale, sed non intrinsecè per existentiam, quia haec non est de nouo producta; ergo per se ipsam formaliter terminat tunc actionem productivam, ergo essentia, prout condistincta ab existentia superadditâ, habet esse actuale in rerum naturâ. Pater consequentia: quia illud habet esse actuale in rerum naturâ prout condistinctum ab aliquo, quod, prout sic, est terminus actionis productivae, & est de nouo in rerum naturâ. Nec potest dici, tunc produci de nouo vnionem, quia (ut in simili dixi num. 59. de vnione hypostatica) in ipsâ vnione habet locum hoc argumentum, quomodo scilicet ipsa essentia vnionis producatur. Quòd si concedatur semel, essentiam vnionis per seipsam solam terminare actionem productivam, & consequenter per seipsam solam intrinsecè esse extra causas, & existere, idem dicendum erit de reliquis essentis.

Fortasse dicet, à me Disputatione i. i. Physicâ à numero 80. ostensum, hoc argumentum non esse efficax contra Thomistas, distinguentes existentiam materiâ ab ipsâ materiâ, & ponentes vnica existentiam pro materiâ & formâ, iam autem videor hic contra eosdem illo argumento vti. Respondeo facillè, me ibi solum docuisse, admittâ semel distinctione existentiae ab essentia, illud argumentum non probare specialiter, non posse materiam & formam per vnica existentiam existere, de quo præcisè ibi agebatur. Dixi autem expressè ibi, absolute ad probandum, nullam existentiam distingui ab essentia, esse optimum hoc argumentum, ideo illo hic vtor, ubi de hac distinctione vniuersaliter agitur.

Nec potest his confirmationibus responderi, negando haec quae concedunt aduersarij, prout ea negant de facto aliqui ex ipsis; non, inquam, potest fieri satis: nam vel essentia potest esse sine existentia, aut è contrario (ut hi dicunt) vel non. Si potest, sequuntur praedicta incommoda; si non potest, loqueris minus consequenter, dum distinguis existentiam ab essentia: nam ad distinctionem realem in creaturis necessariò sequitur separabilitas saltem non mutua, alias nullum est fundamentum distinctionis.

Dices: Potest separari essentia ab hac numero existentia, & à illâ determinatè, non verò ab aliquâ subdistinguitur, & hoc sufficit ad eas distinguendas;

guendas; sicut ob similem separabilitatem distinguitur vbiatio & duratio à re vbiatà & durantē, ex hac verò separabilitate non sequuntur absurdà quæ suprà inferebantur. Sed contrà, quia adhuc manet tota difficultas: rogo enim, an, quoties mutatur existentia, mutantur actiones productivæ essentia, an non. Si non mutantur, ergo manet conservatio eadem essentia, variatis existentis, ergo essentia, vt condistincta ab existentia, terminat actionem productivam distinctam, quæ ponitur extra causas, ergo etiam vt condistincta ab existentia, existit. Si verò mutantur productiones circa essentiam, ergo quia non manet eadem numero essentia actualis modo quæ antea, quod est contra suppositum. Sequela patet, quia si essentia actualis est eadem modo quæ antea, vt quid debet variari actio terminata ad ipsam essentiam, cum habeat nunc eundem terminum quem antea?

64 Respondebis, quia illa actio terminatur etiam ad existentiam quæ variatur. Sed contrà Primò, quia id repugnat: cum enim in vestra sententia existentia saltem producatur materialiter ab essentia, sit necessarium, vt actio quæ producitur existentia, debeat oriri ab essentia. quod si aliunde ea actio est eadem cum eà quæ ipsa essentia producitur, sequetur rursus, essentiam esse causam actionis primò productivæ sui ipsius, & consequenter esse causam sui, quod à te & ab omnibus merito negatur. Contrà Secundò, quia licet possit per eandem actionem produci essentia & existentia, adhuc illa actio habebit duos terminos verè productos extra causas, & habentes entitates actuales distinctas, & consequenter quilibet, prout condistinctus ab alio, existet, vt suprà arguebamus. Ex quo infertur, non esse necessarium, vt ambo per vnam actionem producantur, præsertim quando vnus permanens est, alius fluidus.

Confirmatur denique argumentum, quia nisi concedatur, duas res verè produci, & duas res verè de nouo esse in rerū naturā, nulla res poterit propriè creari, quia nulla res producetur independentē à subiecto. Si quæ enim, maximè Angelus vel anima rationalis: sed hæc non, quia nec eorum essentia; hæc enim per te propriè non producitur, sed sunt ab æterno: nec existentia, quia hæc pendent à subiecto non minus quàm existentia: forma educat in tuā sententia; ergo nulla erit actio creativa, id est producens aliquid independentē à subiecto, quod est contra te, & contra omnes; ergo debes dicere, etiam ipsas essentias, vt condistinctas ab existentia, produci & fieri entia in actu; consequenter etiam, vt condistinctas existere per se ipsas formaliter, vt contendimus. Hæc argumenta ita aperte confirmant hanc sententiam, vt superfluum sit alia multiplicare, & fortè omnia ad prædicta reuocantur.

Eis succumbens Thomista quidā apud Hurtadum §. 43. concedit, res per se ipsas formaliter existere, ne tamen videatur, existentiam distinctam negare, dicit, illam dare postea nescio quod vltimum complementum essentia.

66 Eum fusè ibi reuocat Hurtadus. Ego dico Primò, hunc necessariò eo ipso fateri, argumenta suorum pro eà distinctione nulla esse, quia illa si quid probant, certè illud, non posse ante existentiam distinctam rem esse extra causas. Secundò dico, cum sine vilo fundamento & necessitate

eam entitatem superaddere, idèò tamquam impertinentem reiiciendam, essentia enim iam sic habens esse extra causas, postea per substantiam, vbiatorem, durationem, &c. sufficienter & adequatè completur, nec alio indiget complemento, quod vocetur existentia.

SECTIO IV.

An Essentia & Existentia ratione distinguantur.

67 **E**rimus hucusque de distinctione reali & modalis essentia ab existentia, iam quærimus, vtrum saltem per rationem inter se distinguantur. Duplicem sensum potest habere hæc difficultas: alius est, vtrum ex parte obiecti (admitto nunc præcisiones obiectivas) correspondeat duæ formalitates, quarum vna sit essentia, alia verò existentia: secundus, vtrum saltem formaliter ab ipsis conceptibus extrinsecè distinguantur, sicut de ente & aliis passionibus dixi suprà.

Circa primum sensum, non defuere recentiores ingeniosi, qui affirmarunt, essentiam ab existentia obiectivè distinguere: imò hanc dixerunt esse sententiam ferè omnium Ecclesiarum Patrum, quam prolixè satis probare conati sunt. Primò ex differentia inter existentiam Dei & creaturarum; Secundò, quia essentia potest concipi sine existentia, vt quando concipio Petram possibilem quin illum concipiam existentem; sed ea possunt obiectivè distinguere, quæ possunt vnum sine alio concipi, vt per se patet, ergo existentia obiectivè distinguitur ab essentia.

Verum in primis hanc non fuisse mentem Ecclesiarum Patrum, inde facillè quisque sibi persuadebit, quia Patres non curarunt de his præcisionibus obiectivis, quæ nisi inter Scholasticos non audiuntur, præsertim cum sine eà præcisione obiectivā rectè assignetur differentia, quam contendebant Patres explicare inter existentiam Dei & creaturarum, quod & aduersarij fateri tenentur; ipsa enim existentia actualis obiectivè correspondens intellectui, differt à Dei existentia in necessitate essendi, (quis id dubitet?) & tamen illa non differt in eo quod obiectivè à suā existentia distinguatur, alias daretur processus in infinitum; ergo sine hac obiectivā præcisione saluanda est differentia creaturæ à Deo, quæ consistit in eo, quod ea vltima formalitas existentia v. g. possit corrumpi vel annihilari, non verò existentia Dei; ad hoc autem non requiritur ea distinctio obiectiva, vt per se patet.

Ex his Secundò refello prædictam sententiam: quia si obiectivè distinguatur essentia ab existentia, sequitur processus in infinitum in ipsis formalitatibus obiectivis, quod tamen nullas admittet. Sequela probatur, quia illa obiectiva formalitas existentia, quæ correspondet vt condistincta à formalitate essentia, est apta ad non existendum, & potest habere duos status, puræ possibilitatis & actualitatis, ergo in illa rursus duæ formalitates distinguuntur, vna quæ sit essentia, alia quæ sit existentia: & de hac rursus redibit idem argumentum vsque in infinitum.

Confirmatur: essentia actualis, quantumcumque actualis concipitur, concipitur existens, quia esse actualis

a actuale formaliter, esse existentem; ergo nec existentia ab essentiâ, nec è contrario possunt obiectivè præcindi. Ratio à priori est, quia essentia possibilis etiam dicit existentiam possibilem, & essentia actualis existentiam actualem. Vnde ex parte essentiæ eo modo quo concipitur, debet correspondere existentia vel possibilis, si concipitur essentia possibilis; vel actualis, si concipitur essentia actualis, ergo non potest una obiectivè sine aliâ correspondere.

Ad argumentum respondeo faciliè ex dictis, non posse essentiam sine existentia correspondere ex parte obiecti, quia essentia possibilis est existentia possibilis, & essentia actualis existentia actualis; ideoque ostendi supra, non posse scientiam visionis à scientiâ simplicis intelligentiæ ex parte obiecti distingui, sed solum ex parte modi, quatenus una cognoscit iudicativè & absolute, altera verò apprehensivè & conditionatè: & sicut non cognosco diversam formalitatem obiectivam, quando dico, *Petrus currit*, ab eâ quam dum dico, *si Petrus currit*; ita nec quando concipio Petrum possibilem & existentem: non ergo potest obiectivè essentia ab existentia, aut è contrario cognosci. Et hæc circa primum sensum difficultatis.

Circa secundum, fateor ab existentia essentiam ratione posse distingui: eadem enim formalitas obiectiva, cognita solum conditionatè, dicitur essentia; eadem verò absolute affirmata, dicitur existentia. Vnde à seipsâ distinguitur per diversos actus, sicut in Logicâ dixi distinguui animalitatem à rationalitate, & hominem ab animali rationali. Et hæc est compositio seu distinctio per rationem, quæ communiter docetur esse inter existentiam & essentiam, neque aliam compositionem possumus admittere, cum neque realis nec obiectiva concedenda sit, ut dixi.

Hic à nonnullis alia excogitatur compositio inter essentiam & existentiam, quasi intellectus essentiam, eò quod indifferens est ad existendum & non existendum, apprehendat per modum subiecti, ipsam autem existentiam per modum actus. Sed non placent, quia ipsa existentia sub conceptu existentie apprehenditur indifferens ad existendum & non existendum, ergo illam deberet apprehendere per modum subiecti, & sic in infinitum. Non ergo debet intellectus apprehendere distinctionem ex parte obiecti inter essentiam & existentiam, sed ipsum obiectum reddere formaliter distinctum extrinsecè, dum diverso modo illud idem concipit, iuxta dicta.

Rogabis, vtrum etiam in Deo distinguatur ratione modo prædicto essentia ab existentia. Respondeo distingui: cur enim repugnabit, ut ego concipiam essentiam Dei conditionatè, non eam absolute affirmando? quando enim dico, *si Deus existat*, non sequuntur duo contradictoria, concipio Deum ut possibilem; tunc autem non concipio illum ut existentem, quia per illum actum non affirmo illum existere. Vel cur non potero cognoscere essentiam Dei, quin sciam ex vi illius conceptus, vtrum existat, vel an sit possibilis, imò quoties homini dubitanti Deum esse, proponitur Deus, apprehendit quidem essentiam divinam, non tamen scit an sit possibilis an non. Ob quam rationem dixi in Logicâ Disputat. x. i. posse for-

maliter præcindi rationem substantiæ v. g. à ratione entis.

Addo, eos, qui ponunt eam compositionem rationis, quasi ex subiecto & formâ inter essentiam & existentiam creatam, quos paulò antè reieci, non posse illam admittere in Deo, etiam si esset in creaturis; deficit enim in Deo fundamentum eius compositionis, non enim Deus est indifferens ut sit vel non sit, ideo non potest eius essentia concipi ut subiectum quod per existentiam determinetur tamquam per formam; secus in creaturis. Et hæc de primâ difficultate.

SECTIO V.

Alique difficultates circa Existentiam.

PRIMA, an existentia sit perfectior quàm essentia, an contrâ. Hæc in nostris principiis non habet locum, cum nec obiectivè eas distinguamus; in adversariâ verò eas distinguente, nonnulli dicunt, existentiam esse perfectiorem essentiâ, quia est actus illius, omnis autem actus est perfectior re actuatâ. Probabilius tamen videtur oppositum, essentiam scilicet esse perfectiorem existentia, quia essentia est primum principium substantiale operationum, essentia v. g. Angeli est intellectualis, volitiva, capax videndi Deum, quod non habet existentia, quæ tantum est conditio ut essentia efficiat has operationes, imò fortè contendunt Thomistæ, eam esse accidentalem. Ad rationem in oppositum, nego omnem actum esse perfectiorem re actuatâ. etenim subsistentia est actus naturæ Angelicæ, à quâ longè exceditur in perfectione. idem est in visione, idem in actibus accidentalibus, cognitionibus, volitionibus, &c. Fateor, secundum quid perfectiorem esse existentiam, quia ponit essentiam extra causas; verum id non sufficit, ut illam excedat absolute, ut patet in actione productivâ Angeli v. g. quæ licet illum ponat extra causas, & in hoc sit perfectior Angelo, absolute tamen imperfectior illo est in omnium sententiâ.

Secunda difficultas, Quas causas habeat existentia. Respondeo faciliè, habere omnino eadem & eodem modo, quas habet essentia, & è contrario. Vnde, si creatur essentia, creabitur & existentia; si essentia pender à subiecto, item pendebit & existentia; si essentia producit à solo Deo, etiam producet & existentia; si verò essentia producat à Deo & causis secundis, ut multæ producuntur, etiam producet earum essentia. Et hinc colliges, formam eo modo esse causam existentie compositi, sicut est causa essentie illius, id est formalem intrinsecam, quod, ut dixi in Physicâ, propriè non est esse causam, sed partem; materia verò erit causa materialis existentie, & essentie compositi, de quo satis in Physicâ.

Tertia difficultas, Quos habeat effectus existentia. Respondeo, habere eosdem omnino quos essentia, quod in nostrâ sententiâ omnino certum est. In contrariâ verò eas distinguente respondeo, existentiam solum esse conditionem ad operandum, sicut est approximatio in causis phycis, & cognitio obiecti in intentionalibus, essentiam verò esse immediatum principium earum operationum.

75 *Quarta difficultas, Quibus rebus competat existentia distincta. Respondeo, omnibus illis, quibus conuenit entitas distincta. quā regulā nihil prorsus excipitur, quantumuis modale vel minimæ entitatis sit. Hinc censeo, etiam ipsas relationes diuinas, cum habeant relatiuas essentias distinctas, habere etiam existentias distinctas relatiuas, de quo fusiùs egi in primâ Parte. Hinc dicendum est etiam, gradibus superioribus eodem modo, quo ab inferioribus distinguuntur, propriam conuenire existentiam, & ut vno verbo complectar, eodem omnino modo philosophandum est in omnibus de existentia, quo de essentia, & è contrario, propter rationem sæpè dictam, quia scilicet hæc duo omnino indistincta sunt inter se; ideo si essentia sit accidens, existentia erit accidens, substantia verò, si essentia fuerit substantialis. quod idem est de aliis omnibus prædicationibus dicendum.*

76 *Quinta difficultas, An casu quo existentia distinguatur, esset substantia an verò accidens. Respondeo, necessariò futuram vnum ex illis; nam diuisio entis in substantiam & accidens, est adæquata non minùs, quàm diuisio animalis in rationale & irrationale: & sicut implicat, esse aliquod animal quod nec sit rationale nec irrationale, ita vltimum ens quod non sit substantia aut accidens. Et ratio ex dicendis à nobis infra est euidentis: nam substantia est id quod est de primo conceptu rei, accidens verò, quod non est de primo conceptu. Non est autem medium inter esse de primo conceptu, & non esse de primo conceptu, ergo vnum ex illis debet omni enti conuenire; atqui ea existentia est ens, ergo vel accidens vel substantia.*

Dices fortè Primò, Accidens non constitui præcisè per hoc quòd non sit de primo conceptu rei, aliàs Chimæra, quæ verè & realiter non est de primo conceptu, verè & realiter esset accidens, & Antonius, qui verè & realiter non est de conceptu Petri, verè esset accidens illius, quod tamen est falsum. Respondeo Primò, accidens definiri ens quod non est de primo conceptu: vnde Chimæra, quia non est ens, neque habet rationem genericam, non est accidens. Respondeo Secundò, accidens non solum definiri, quod non est de primo conceptu, sed vltèriùs addi, de primo conceptu rei cui vnitur. vnde sit vt, quia Petrus non vnitur Antonio, etiam si neuter sit de conceptu alterius, neuter tamen sit accidens alterius; Chimæra verò, quia nulli realiter vnitur, non est realiter accidens.

Secundò obiicies: Modus est ens, & non est substantia neque accidens, ergo existentia poterit esse ens, etiam si non sit substantia aut accidens. Respondeo, modum esse vel substantiam, vel accidens, & de eo esse eamdem rationem quam de existentia. quis autem modus sit accidens, quis substantia, non est huius loci.

78 *Sed adhuc restat explicare, quid sit determinatè existentia. Respondent nonnulli, substantiæ existentiam futuram substantiam, accidentis verò esse accidens. Hæc secunda pars est certa, quia si ipsa essentia accidentis accidens est, à fortiori eius existentia. Primam verò probant nonnulli, quia si existentia esset accidens, reciperetur in essentia: atqui hoc est impossibile, quia essentia non potest esse prior quàm sua existentia. Hæc*

ratio est valde debilis; probat enim, existentiam accidentis debere esse substantiam. Nam si esset accidens, reciperetur in essentia accidentis, v.g. in quantitatè Eucharisticâ, vt supra arguebatur. Videat ergo, quomodo accidentis existentia recipiatur in accidente, & sit accidens. Et eodem modo possent philosophari de existentia substantiæ, posset enim dici in sententiâ Thomisticâ, dari mutuam causalitatem inter essentiam & existentiam. Secundò posset dici, existentiam adhaerere essentia, sicut arguens dicit, & quidem bene, de actione creatiua respectu sui termini, v.g. de creatione quantitatis in Eucharistiâ: non enim magis est prior existentia quàm actio, ergo ratione prioritatis tam bene existentia posset esse accidens Angeli, quàm creatio eiusdem.

79 *Secundò iidem arguunt: Essentia Angeli est producta independentè à subiecto, ergo habet rationem formalem terminandi eam independentiam, quæ ratio sit independentis vt quo, hæc est existentia, ergo existentia est independentis à subiecto, ergo substantia. Sæpè simile argumentum dixi esse nullum, & iam specialiter ostendo, dicit enim Thomista, qui existentiam fecerit accidens, Primò, rationem formalem terminandi eam independentiam à subiecto, esse ipsammet essentiam. Secundò, sicut de facto in nostra sententiâ non valet, Angeli natura est independentis ab omni subiecto, etiam adhesionis, ergo creatio, quæ est ratio formalis quâ producitur, debet etiam esse independentis à subiecto etiam adhesionis; ita nec valere in existentia. Tertio tandem, quia, vt sæpè dixi, non est necessarium, vt forma constituens parietem visum sit visâ, aut odium constituens rem odio habitam, sit etiam in se odio habitum, ergo nec etiam est necessarium, vt existentia constituens rem independentem ipsa sit independentis.*

Dices: Debet esse independentis vt quo. Sed contra, quia esse visum vt quo non est propriè visionem esse visam, sed esse id quo obiectum denominatur visum, ipsa autem visio tam non videtur quàm non videtur additio, ergo similiter existentiam esse independentem vt quo, non erit propriè eam esse independentem, sed per eam constitui terminum independentem: hoc autem poterit communicare, etiam si in se ipsa non sit independentis, sicut à visione in se non visâ vltimo modo, obiectum redditur visum.

Meliùs ergo iidem Tertio argumentantur: nam existentia non supponit sed constituit substantiam simpliciter, ergo non est extra conceptum substantiæ. Melius quidem argumentum, aut minùs malum, non tamen efficax: nam videtur posse pati instantiam in actione productiua formæ substantialis, quæ licet non supponat substantiam, sed constituat eam simpliciter extra causas, non tamen est substantia, sed accidens.

81 *Fortè replicabis: Actio non constituit Angelum v.g. nisi in ratione producti, quæ denominatio est extra conceptum illius: si enim per impossibile existeret improductus, esset tam completus quàm iam, in ratione substantiæ; at existentia formalissimè eum constituit in esse entis simpliciter, ergo in esse substantiæ simpliciter; nam res in potentia, seu non existens, nihil est propriè & simpliciter, nec ens, nec substantia, &c. Responderi tamen adhuc potest, sicut ex-*

existentia non constituit humanitatem, casu quo distinguatur, neque hominem, ita neque esse de conceptu substantiali illius; nam existere, ut ipsi Thomistæ dicunt, est extra conceptum essentiae & substantiae.

82 Ideò putarem satis probabiliter in eâ sententiâ posse dici, existentiam esse accidens. Sed quid nos sumus solliciti de consequentiâ tenendâ in opinione fortè improbabilî ipsi viderint quid debeant dicere.

Sexta difficultas, An existentia sit prior quàm substantia. Respondeo breuiter, esse priorem, nihil enim nisi ut existens potest recipere substantiam, ac quancumque aliam formam; tunc enim ut purè possibilis non potest actu vñiri, aut compleri, &c. quod ex terminis videtur notum.

Vltima tandem difficultas, ardet in potentiâ & existentia sit aliquis conceptus communis. Ab hac quæstione, quâ nonnulli non parum intricantur, ego me facillè excedio. Respondeo enim ex dictis supra, ens in potentiâ significare duo, in recto subiectum, quod denominatur ens; in obliquo verò negationem essendi. Hoc posito dico,

ens in potentiâ secundum significatum in recto esse ipsummet ens existens; nam illud idem concipio, quando dico, *non existit, sed potest*; secundum verò obliquum non habent conceptum communem, quia homini & carentiæ hominis non datur conceptus communis. Hinc colliges, Petrum actuale esse eiusdem speciei, imò propriè esse eundem numero cum Petro possibili, quia significatum in recto per vtrumque conceptum est idem; sicut Petrus qui fuit, & qui erit, est idem numero. Quod si sumamus id, quod dicit in obliquo Petrus, prout purè possibilis, carentiam scilicet ipsius Petri, tunc ea nec eiusdem speciei nec generis est cum Petro, ut ex se patet: estque res clara, oritur amen inde difficultas, quod quia Petrus iam non est in se, putant aliqui non posse illum ipsum nunc cognosci, sed id quod cognoscitur, debere esse aliquid aliud distinctum de facto existens, quod sit Petrus possibilis, & distinctus à Petro existente; nec aduertunt, intellectum semper eundem concipere, siue ille aliquando in se ferè sit, siue aliquando non. Et hæc de possibilitate & existentia sufficiant.

DISPUTATIO TERTIA.

De diuisione Entis in decem Prædicamenta.

1 **D**IVIŒVM fuit ab Aristotele ens in decem Prædicamenta, seu series seu, Substantiam scilicet, Quantitatem, Qualitatem, Actionem, Passionem, Relationem, Durationem, Vbicationem, Situm, & Habitum. Disputatione XII. Logices hæc decem genera entis explicui breuiter, & in diuersis locis de illis ex professo & in particulari disputavi. Sola restant nobis Substantia, Qualitas, Situs & Habitus, de quibus suo ordine. Nunc solum aduerto, etiam ab Aristotele hæc solum traditi sunt decem communes modi loquendi, nonnullos tamen Auctores voluisse hanc diuisionem in omni rigore bonam esse, contra quos dico, si rigore res discutatur, eos & Aristoteli & rationi esse contrarios, & vix posse in diuisione aliquâ tot vitia reperiri quot in hac. Primò enim non est immediata, quia nouem Prædicamenta habent aliam rationem sibi superiorem & communioem, inferioriorem tamen ente quod diuiditur, nempe *rationem accidentis*, in quam prius oportebat ens diuidere, in Substantiam & Accidens. Imò si, ut hi ipsi volunt (de quo paulò post) Deus non intrat in Prædicamentum, oportuit primò ens diuidi in *creatum & increatum*: cum enim Deus sit nobilissimum omnium entium, cur ei non dabitur vna series, in quâ omnia prædicata diuina comprehendantur, præsertim cum agere de Deo, spectet ad Metaphysicam? Tertiò peccat hæc diuisio, quia habet multa membra, & in hoc violat leges statutas pro bonâ diuisione. Quartò, quia Substantia, quæ est nobilissimum ens inter omnia decem Prædicamenta, tantum vnum tribuit Prædicamentum, postea Accidenti imperfectissimo tribuit nouem. Cur, si immediatè diuisit ens in Habitum, Situm, &c. non diuisit in substantiam rationalem, sensitivam, spiritualem, &c. mate-

riam & formam? Et certè hoc modo dedisset species entis digniores consideratione, quàm sint Situs & Habitus. Quintò, in ipsis accidentibus ponit ut distincta, quæ nullo modo distinguuntur, Situs enim est ipsum Vbi, Habitus est Vbi vestitum in humano corpore; Quantitas, si distinguatur, cum Qualitate pertinent ad vnum Prædicamentum Accidentis absoluti. Relatio non distinguitur à fundamento & termino. Sextò, inter ipsa accidentia est valde diminuta: rogo enim, Ad quod fundamentum reducitur loqui, tacere, vigilare, dormire? Iam mirandum est, qualia hic non dicant, viri aliàs docti & graues, ut post tot vitia (ferè enim habet omnia septem mortalia) exactissimam hanc diuisionem esse demonstrant.

Ad Prædicamentum Habitus, reducunt esse *vestitum*: esse autem *armatum* dicunt non posse ad illud pertinere. Alij distinguunt inter arma: defensiva concedunt quidem illi, offensiuam negant. Timent fortè, ut quidam acutè norant, ne fiant irregulares, & Sacrum celebrare nequeant. Eos ego rogo, Ad quod Prædicamentum pertinebunt arma offensiuam? non enim patientur milites se excludi à Prædicamento. Rursus ad Passionem reducit Fonseca apud Hurtadum Disputat. 9. Metaph. §. 12. *gestare trabem*, quia homo patitur ab illâ. Benè Hurtadus illum reiicit, quia etiam *habere uxorem molestem* est quoddam genus passionis, & satis graue, in quo ergo erit Prædicamento?

Video quid respondere possit. Cum enim à Prædicamentis offensiuam arma ut ab Ecclesiasticis remoueantur, fortè & in illis continentiam requireret, nec uxorem habere vlli Prædicamento tamquam Ecclesiastico permitteretur: sed tunc ad quod Prædicamentum spectabit *choro assistere*, quale Prædicamentum erit, *amatum esse, honoratum*